

ille, qui sic operatur sit laicus, vel sacerdos, aut aliquid simile; quod utique accidentale est, etiam in individuo. Et fundamentum hujus est, quia accidentia rei naturalis accidunt ipsi subjecto naturali, etiam prout in individuo, ut color, calor, frigus, loci et temporis mutatio, etc. Ergo etiam accidentia moralia debent accidere ipsi actui morali in individuo considerato. Circumstantiæ autem sunt accidentia moralia, quæ variari possunt in actu, et modo hæc, modo illa convenire: ergo debent esse accidentia, non solum actus moralis in specie, sed etiam in individuo.

X. Ad tertiam difficultatem supra positam respondetur, non omnes circumstantias actus dare bonitatem, vel malitiam, sed solum circumstantias morales. Illæ autem dicuntur morales, quæ dictamini rectæ rationis, et ejus censuræ subduntur, ita quod ad finem aliquem moralem conducant: aliæ vero omnino per accidens se habent, nec in linea morali pro circumstantiis habentur, verbi gratia, si aliquis furatur, non est circumstantia furti, quod sit vestitus veste nigra, vel rubra, cum pileo, vel sine pileo,posito enim, vel ablato tali accidenti, non mutatur dictamen rationis, et regulatio illius, nec circa hoc lex aliqua, vel regula rationis disponit: conducit autem ad moralitatem furti, quantitas rei ablata, quia secundum illam plus, aut minus damnificat, et similiter quod furtum sit occultum non vidente domino, aut quod sit per modum raptus, etiam ipso vidente, quod majorem violentiam infert, et injuriam irrogat. Et sic de istis diversimode disponit lex, et ratio. Tales ergo circumstantiæ morales sunt, et in linea morali considerantur, quia ad ordinationem, et regulationem rationis spectant, et secundum illas attenditur

majus, aut minus augmentum malitiæ, vel bonitatis.

XI. Ad id vero, quod in eadem difficultate inquiritur, an omnes actus humani habent circumstantias aliquas morales, respondeo aliquos sentire, quod non saltem in actibus internis voluntatis, qui versantur circa finem; respectu enim eorum finis non est circumstantia, sed objectum, ut docet D. Thomas in hac quæstione xviii, articulo vi, et sic dat substantiam, non circumstantiam. Reliquæ vero circumstantiæ, ut loci, et temporis, aut similes, non considerantur moraliter pro actu intentio, licet physice actus fiat in loco, et tempore, et ab efficiente, seu elicenti. Reliqui vero actus non interni, sed imperati, ad minus habere debent circumstantiam finis, quia ab intentione operantis procedunt ut ab imperante, et sic finis qui est objectum actus interni, est circumstantia externi.

XII. Sed nihilominus dicendum videtur, omnes actus morales habere aliquas circumstantias, de quibus ratio dictat, licet non sit necesse, quod omnes circumstantiæ concurrant in quolibet actu, sicut non in omni actu attenditur pro circumstantia locus, quia non refert quod fiat in isto loco magis, quam in illo, præsertim actus interior, ut quod aliquis syllogizet, et discurrat intra se, in platea, vel in cubiculo, vel in ecclesia, etc.

XIII. Sumitur ergo conclusio ex D. Thoma in hac quæstione xviii, articulo iii, ubi parificat actus morales rebus naturalibus in hoc quod perficiuntur actibus superadditis. Constat autem nullam rem naturalem dari sine accidenti aliquo; ergo nec res moralis, sicut neque artificialis, semper enim in individuatione rei prout fit, concurrunt aliquid præter id, quod essentielle est. Et præsertim quia in quocumque actu

DISPUTATIO IX.

DE SPECIEBUS MORALITATIS.

ARTICULUS I.

In quo consistat formalis ratio boni moralis?

I. Morale genus, de quo præcedenti disputatione tractatum est, vulgari divisione dividitur per tres species, scilicet per bonum, malum, et indifferens, de quibus sigillatim in hac disputatione agendum est, in qua tractamus de omnibus speciebus moralibus. Et primo occurrit species prima bonitatis, de qua oportet tractare, in quo consistat ejus differentia specifica, quia de ratione generica jam in præcedenti disputatione tractatum est.

II. Solet autem distingui duplex bonitas, scilicet absoluta et respectiva, bonum in se et bonum alteri. Bonum quidem absolute, et in se, est quod habet in se ipso esse perfectum, seu integrum in genere suo, et in ordine ad se, non ad alterum quatenus talis perfectio non solum constituit formaliter rem perfectam, sed etiam fundat appetibilitatem, qua moveat finaliter, et alligando. Bonum relate, seu bonum alteri consistit in convenientia, qua dicitur aliquid conveniens, seu aptum, et proportionatum alteri. De actu ergo bono morali constat habere bonitatem relatam respectu sui operantis, quia conveniens, et aptum est naturæ rationali, secundum rationem vivere, et operari. Sed quia hæc aptitudo, et convenientia fundatur in ipsa perfectione, et bonitate, quam actus habet in se in ratione operationis moralis, et actus debet perfectionem habere penes attin-

etiam interno, et imperante (nam in imperato ad minus invenire debet circumstantia finis imperantis, nisi transeat in conditionem objecti, et tunc judicatur de illo sicut de actu interno) semper datur aliquod accidens de quo potest ratio dictare, et regulare; saltem ipsa duratio, et continuatio actus, fervor, seu intensio, aut remissio, et comparatio ad alia, quæ occurrunt, verbi gratia in actu charitatis, qui maxime versatur erga finem, et est actus internus, et imperans, potest ratio mensurare, et discernere an debeat continuari, et durari tanto vel tanto tempore, vel cum tanto aut tanta intensione, et conatu, ita quod non impediatur alia negotia, quæ etiam instare possunt; et similiter debet attendere ratio quomodo, et qua obligatione teneatur hic, et nunc elicere talem actum, et sic de aliis circumstantiis occurrentibus. Ergo si in actu ita interiori, et qui versatur erga ultimum finem, sicut est actus charitatis, inveniuntur circumstantiæ, sine quibus non datur, quanto magis inveniuntur in aliis actibus, qui versantur erga fines intermedios, aut erga media, circumstantiæ reperientur, cum ad minus isti actus supponant alium priorem finem a quo moventur, et ille se habebit ut circumstantia. Vel si nullum finem supponunt propter quem fiant, hoc ipso erunt actus otiosi, quia debito fine carent, et fient quando non oportet, et ubi non oportet, quod est habere circumstantias.

gentiam ad objectum, et egressionem a suo principio, aliaque concurrentia ad constitutionem actus in illo genere morali, ideo restat videre, per quid formaliter constituitur ista species moralis, quæ est bonum in ipsomet actu in se.

III. Tres sunt sententiæ in hac parte. Prima constituit differentiam specificam boni moralis in aliquo modo absoluto, unde resultat relatio conformitatis ad ipsam regulam rationis. Hæc attribuitur Cajetano, licet ipse specialiter loquatur de moralitate malitiæ: eadem tamen ratio videtur esse de bonitate. Videatur Cajetanus in hac quæstione XVIII, articulo V, et infra quæst. LXXI, articulo VI, et quæst. LXXII, a. I, in quibus locis constituit malitiam moralem in aliqua contrarietate positiva ad bonum et non in sola privatione. Contrarietas autem videtur esse solum inter absolutas realitates, non inter relationes. Et expressius videtur loqui Cajetanus de omni specie morali, tam bona quam mala, infra quæst. XLIX, articulo III, §. Ad objecta vero, ubi in prima solutione argumenti negat, quod esse morale sit relativum in actu elicito, quamvis sit in actu imperato, quia sicut inter habitus morales est contrarietas secundum esse absolutum, ut inter fortitudinem, et timiditatem, ita et inter actus elicitos. Cæterum Cajetanus loquitur de absoluto habente transcendentem respectum ad objectum, sicut habitus, et actus absolutæ entitates sunt, licet respiciant objecta sua, ut specificantia, et quidquid objecto suo adjunctum est. Et sic solum contraponit ly absolutum puro relativo, seu relationi prædicamentali, non transcendentali; ideoque sententia Cajetani non recedit a communi sensu Thomistarum.

IV. Secunda sententia constituit differentiam specificam boni mora-

lis in respectu ad regulas rationis, seu ad objectum ut regulatum per modum conformitatis, et subordinationis ad regulas. Cum enim genus morale sit genus mensurationis, qua mensuratur non quantitas aliqua discreta, vel continua (in quibus mensurari a mensura exteriori, vel est sola relatio, vel extrinseca denominatio) sed qua mensuratur qualitas activa, scilicet habitus, vel actus, qui totam suam mensurationem, et regulationem habent per ordinem ad objecta, id est, in attingendo objectum mensuratum, vel non mensuratum; ideo oportet quod tale genus moralitas, id est, mensurabilitatis, et regulationis in operando contrahatur ad talem speciem mensurationis, scilicet mensurationis bonæ, et conformis, per hoc quod sit respectus conformitatis ad objectum regulatum, et mensuratum regulis rationis, et prudentiæ. Quæ sententia attribuitur Conrado in hac quæstione XVIII, art. I, paulo ante solutionem argumenti. Attribuitur etiam communiter Thomistis recentioribus, qui constituunt bonitatem moralem in conformitate ad rectam rationem. Quam conformitatem, vel respectum dari etiam docet p. Vazquez in hac prima secundæ, disp. xcv, cap. x, qui constituit duas regulas moralitatis, alteram remotam per convenientiam ad ipsam naturam rationalem; alteram proximam per convenientiam ad rationem rectam. Et ita per conformitatem, et subordinationem ad istas regulas constituitur bonitas moralis. Quod si quæretur, an ista bonitas, seu respectus conformitatis sit realis, vel rationis, Vazquez dicit esse rationis, et denominationis extrinsecæ ortæ a regula tamquam ab efficiente, vel formante extrinsece ipsum actum. Alii vero dicunt esse intrinsecum, et realem respectum ipsius actus erga objectum, et ejus

circumstantias, lex enim seu regula non afficit actum nisi prout respicit objectum, et objectum sic regulatum respicit ipse actus respectu reali, ut præcedenti disputatione diximus de moralitate in communi.

V. Tertia sententia constituit bonitatem moralem non in aliquo absoluto, nec relativo, sed in aliquo aggregato, seu in concursu omnium eorum, quæ requiruntur ad perfectionem actus secundum regulam rationis; qui tamen concursus, et aggregatio tandem aliquo respectu, et relatione fit. Concurrunt autem ad bonitatem, seu perfectionem actus, bonitas objecti, finis, et circumstantiarum, quibus concurrentibus actus dicitur bonus, quia nihil ei deficit de requisitis ad suam perfectionem. Quæ sententia attribuitur Scoto in secundo, distinct. XL, quæstione unica, §. De secundo dicto, et quodlibeto XVIII, §. De primo. Non tamen negat Scotus hanc moralitatem importare relationem, imo dicit in eodem quodlibeto littera I, actus esse virtuosos, vel vitiosos importare relationem, vel plures relationes, illa si quidem integritas, et concursus omnium requisitorum ad bonitatem per convenientiam plurium relationum, et respectuum fit.

RESOLUTIO.

VI. Conclusio nostra sit: Bonitas moralis formaliter ut tenet se ex parte actus eliciti est habitudo, seu ordo intrinsecus ad objectum ut conforme, et mensuratum regulis rationis, ad quam conformitatem requiritur ex parte objecti collectio, seu aggregatio omnium eorum, quæ ad perfectionem actus in linea morali requiruntur, scilicet objecti, finis, circumstantiarum, etc. Non tamen formalis bonitas moralis consistit in illa collectione, sed in ordine

ad ipsam. Bonitas quippe formalis in ipso actu invenitur, qui ad objectum tendit illa collectione, seu aggregatione circumstantiarum, et aliorum ad perfectionem requisitorum vestitum, et modificatum. Et sic bonitas moralis objectiva in illa aggregatione ex parte objecti se tenente consistet, sed bonitas formalis actionis in ipsa tendentia actus ad tale objectum sic mensuratum, et relatum, ac vestitum.

VII. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma, qui in hac quæstione XVIII, art. II dicit: « Quod prima bonitas moralis in actu attenditur ex objecto convenienti: » et in solutione ad tertium docet: « Quod ipsa proportio actionis ad effectum est ratio bonitatis ipsius: » et articulo quarto docet: « Quod licet finis sit causa extrinseca, tamen debita proportio ad finem, et relatio in ipsum inhæret actioni. » Ergo hæc moralis bonitas ex parte actus considerata constituitur a D. Thoma in proportione, seu relatione actus ad objectum convenientem, et ad finem (nam finis etiam est objectum actus interioris, seu imperantis) quæ relatio intrinseca, et realis est ipsi actui, quia ut dicit D. Thomas inhæret actioni, ut satis in præcedenti disputatione ponderatum est.

VIII. Quod vero ista bonitas requirat ex parte objecti collectionem omnium eorum, quæ secundum rationem requiruntur ad perfectionem debitam actus, sumitur ex eodem D. Thoma, qui docet dicto articulo quarto citato: « Plures bonitates concurrere ad actum, scilicet bonitatem objecti, circumstantiarum, finis, etc. » Et solutione ad tertium dicit: « Quod actioni habenti unam prædictarum bonitatum contingit deesse aliam: » et similiter articulo tertio dicit: « Quod plenitudo essendi in actione, non tota consistit in sua specie essentiali, sed aliquid ad-

ditur ex his, quæ adveniunt tamquam accidentia quædam. » Concurrunt ergo plura ad bonitatem actus. Nec concurrunt ex parte ipsius actus, quasi sint plures entitates in ipso, quia actus in se formaliter est qualitas quædam vitalis, seu operatio egrediens a potentia, non plurium qualitatum, vel entitatum collectio, et coacervatio. Ergo quando plura dicimus concurrere ad bonitatem actus, non debet intelligi per collectionem, et aggregationem ex parte objecti, quod ab actu attingitur non nudum, sed vestitum circumstantiis diversis, de quibus ratio dictat, ut attingantur, vel vitentur ab actu; sicut videre plura aggregata, et coacervata non est aggregatio, et pluralitas visionum, sed visibilium, seu objectorum, quæ unica visione attinguntur. Et quia illa collectio eorum, quæ concurrunt ad bonitatem moralem ab intellectu proponitur ut a voluntate attingatur, vel evitetur, est signum quod se tenet ex parte objecti, actus autem non habet moralem bonitatem per collectionem, et aggregationem istorum in se, sed per respectum, et ordinem ad objectum sic collectione, et aggregatione istorum affectum, et vestitum.

IX. Fundamentum autem hujus conclusionis ex dictis præcedenti disputatione deducitur, ubi ostendimus moralitatem convenire actui per attingentiam ad suum objectum, ex quo judicatur, et regulatur qualis sit operatio, et ipse operans, juxta illud Osee ix: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*. Et hoc ideo, quia moralitas in actibus liberis non est aliud, quam eorum commensuratio, et ordinatio secundum regulas rationis, et prudentiæ, quæ disponit de actibus faciendis secundum habitudinem ad finem, et secundum determinationem, et mensurationem legis. At neque ratio, ne-

que prudentia, neque lex aliquid dictant, aut determinant, vel mensurant in actibus considerando eorum physicam entitatem, verbi gratia, ut sunt qualitates quædam vitales procedentes a suo vitali principio, sed ut attingunt objectum; determinat enim ratio quid sit faciendum, et circa quid, maxime enim propter materiam, et objectum attingendum actus elicitur, sicut visio propter res visas: et in ipso fine assecutio, quæ est finis quo, est propter rem ipsam, quæ assequitur, quæ est finis qui. Et sic actus non regulatur, nec respicitur a ratione, nisi propter rem, quam attingit, et circa quam versatur. Unde remoto objecto non curat ratio, neque voluntas de elicentia actus. Ergo tota mensuratio, et regulatio actus cadit supra actum ut attingit objectum, et respicit illum. Ergo perfectio, seu bonitas hujus regulationis in actu consistet in ordine ipsius ad objectum sic regulatum, et mensuratum, non in aliquo sibi extrinsecus affixo, et apposito, sive sit denominatio extrinseca, sive aliquid absolutum.

X. Et confirmatur, quia regula rationis per quam actus moralizatur, id est, mensuratur, et ordinatur in linea morali non tangit actum nisi mediante objecto, præcipit enim, aut prohibet actionem propter ipsum objectum, et materiam quam tangit; prohibet enim homicidium, quia est circa hominem, et adulterium, quia est circa alienam, si enim illa mulier esset sua, et ille malefactor esset sub sua jurisdictione, nec iste actus, nec ille prohiberetur. Ergo lex tangit prius ipsam materiam, seu objectum tamquam quid difforme, vel conforme sibi, et sic proponit illud, ut eliciatur, vel non eliciatur actus. Ergo ut actus sit bonus debet haurire hanc moralitatem ex objecto, et supposita regulatione, et ordinatione rationis circa

objectum, ex illo desumere conformitatem ad legem, quæ circa tale objectum versatur, et de objecto disponit; lex autem est regula, et mensura rationis in genere morali. Sed actus non haurit, nec sumit aliquid ab objecto, nisi per tendentiam, et ordinem ad illud, quia solum mediante hac comparatur, et copulatur objecto; ergo bonitas moralis, si est desumpta ab objecto in ipso actu, consistere debet in ordine, et tendentia ad ipsum.

XI. Ex hoc autem deducitur, quod ille respectus, et tendentia per quam actus habet bonitatem moralem sit intrinsecus, et realis in ipso actu, non extrinseca denominatio, nec aliquid rationis, quia ordo actus ad objectum pertinet ad ipsam naturam intrinsecam actus, quia totum quod est in natura sua, et specie ad hoc ordinatum est, ut circa objectum versetur, ideoque ab illo speciem sumit, species autem entitativa intrinseca, et realis est in ipso actu; ergo et ordo, seu dependentia ab ipso objecto intrinseca esse debet actui, nec est prædicamentalis relatio, quæ dependeat ab existentia termini, sed etiam termino non existente actus versatur circa objectum, ut quotidie experimur, ideoque relatio illa transcendentalis est, et secundum dici. Si ergo actus respicit realitatem suam, et tendentia ipsum objectum, si in eo invenit regulationem rationis, et cæteras circumstantias ei adjacentes; eadem tendentia poterit illas attingere, quia eadem respectu, quo attingitur objectum, attingitur etiam quidquid ei conjunctum est, ut visus eadem tendentia attingit colorem, et figuram, aut motum, cæteraque sensibilia communia, et intellectus, atque imaginativa respectu reali sui actus attingunt negationes, et privationes, cæteraque entia rationis.

XII. Dices: Attingentia objecti in

esse appetibilis, et boni erit quidem intrinseca in actu, et ad illam per se, et ex natura sua tendit actus. Cæterum attingentia objecti in esse morali non probatur, quod sit realis, et intrinseca, quia non pertinet ad constitutionem actus in sua entitate, et natura, sed in sua moralitate, et mensuratione ad legem, quod est aliquid accidentale, et in hoc dependet actus a lege, ab advertentia rationis, ab intentione operantis, quæ omnia solum extrinsecam denominationem in actu ponunt.

XIII. Sed contra, quia si ordo, et attingentia objecti in esse appetibilis, et boni est realis in actu volitionis, et appetitus; ergo etiam ipsa moralitas seu ordinatio rationis, quæ ex parte objecti se tenet, et inde hauritur, et sumitur ab actu, per realem attingentiam et ordinem ad ipsum desumetur. Patet consequentia, quia etiam ista moralitas quando est per conformitatem ad legem, in qua consistit bonitas moralis, est valde appetibilis, et desiderabilis juxta illud Psal. xviii: *Judicia Domini vera justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel, et favum*: et iterum Psal. cxviii: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*. E contra vero peccator ex depravatione animi odio habet tam desiderabiles vias, et pacis plenas, juxta illud Psal. xlix: *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum*: et iterum Ps. cviii: *Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo, et induit maledictionem sicut vestimentum*. Ergo etiam lex ipsa, et ejus commensuratio est valde appetibilis a bonis, et odibilis a malis; ergo actus non solum fertur reali, et intrinseco ordine in bonitatem naturalem, et appetibilitatem objecti, sed etiam in moralitatem, quia etiam